Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1913
Quelle:
Copyright:

Solus origenes cum doctos uicerit omnes
In libris alijs, tamen in libro Salomonis
Ipse sui victor fuit eius cantica cantans.

Hieronymi Sententia est, metro illigata. *Origenes*, inquit ille in Praef. ad *Damasum* interpretationis suae II. Homiliar. in Cant. *cum in ceteris Libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit.*

IV. *fol.* 167. *Omelia*, ut in calce, *Albini Beati dyaconi.* Init: *Liber generacionis ihesu christi* &c. *Beatus Matheus ewangelista Dilectissimi non inmerito inter cetera celestium secretorum animalia facie hominis describitur* &c. Habetur in *Alcuini* edit. *Ratisb.* T. I. P. 2. p. 449. titulo: *Interpretationum Nominum Hebr. Progenitorum D. N. J. C.* Sub titulo *Homiliae in Nativit. B. M. V.* jam *Andr. Quercetanus* inter *Alcuiniana* ediderat, et inter *Homilias Bedae* etiam T. VII. edit. *Basil.* 1563. p. 183. legitur. Plura vide in *Monito praevio* edit. *Ratisb.* Nobis desinit: *merito et numero augeamur.* In Editis ulterius procurrit.

V. *fol.* 170. ἀδεσποτως Expositio super I. *Lucae*, quae incipit: *Missus est gabriel a deo in ciuitatem nazareth. Signum pacis est quando legati mittuntur* &c. Mox sub principium ignotus Autor *Alexandrum in Cantica* excitat. Non novi hujus nominis Interpretem *Canticorum*, nisi *Alex. Neckhamum Anglum* a. 1215. defunctum, cujus Commentaria *mss.* in pluribus *Angliae* Bibliothecis extare testatur *Tannerus* et *Caveus.* Recentior est igitur Expositor noster, qui finit *v.* 38. his verbis: *quam copulationem deificam nobis experiri concedat christus. Amen.* et inter tot hujus περιοπης Expositores difficilis designatu est.

VI. *fol.* 186. *Sermones* quidam *de Virginibus, de Corpore Christi, de Purificatione, de Nativitate*, &c. qui etiam Codicem terminant.

DCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 117 XV. Folior. 444. 4. currente calamo exaratus, rubricis distinctus et olim testamento legatus *ad collegium beate marie virginis domus Rubee Rose aput fratres predicatores in Wyenna a M. Thoma de Haselpach arcium ac sacre theologie professore, In perchtoltzdorff plebano famoso atque ecclesie ad sanctum steffanum Canonico*, ut notatur in fronte, continet Viri hujus *Sermones* sacros, academicos, conciliares, politicos, magnam partem propria ejus manu, uti mente conceperat, scriptos, praefixo, quod amabat, lemmate:

Compleat inceptum sancta Maria meum.